

DISSESSATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
**SUCCESSIONE
DESCENDENTIUM
LEGITIMA CIVILI,**

1742, 5.
QUAM
DEO CLEMENTER ANNUENTE

11
SUB AUSPICIIS

RECTORIS ACADEMÆ MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. FRIDERICI,

HASSIÆ LANDGRAVII, RELIQ.

EX DECRETO
AMPLISSIMI JURISCONSULTORUM ORDINIS
IN ILLUSTRI ACADEMIA MARBURGENSI

PRO
SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS

ET

PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
RITE CONSEQUENDIS

MAGNIFICI SENATUS ACADEMICI

EXAMINI PUBLICO

AD DIEM MARTII A. O. R. c. 10. CCCXLII.

SUBFICIT

JO. JAC. ERNESTUS PFEIFFER,

WEZLARIENSIS.

MARBURGI CATTORUM,
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, ACAD. TYPOGR.

DISCENSIO
DESCENDENTIA
PREGHIERA

DEO EMINENTER ANNUNCIAT
TAS VASIVICAS
LECTORI DOCUMENTA MAGIS INNUNCIANT
MAGIS INNUNCIANT
ACCESSIONE LADIGIANA

EX SPECTATO
ALTISSIMA DISCENSIO MUSICA

ITEM IN UNGUICULIS HONORIS

PRIMATIBUS HONORIBUS

MONTICIS SUMMIS HONORIBUS

ITEM IN UNGUICULIS

NOTIC ERNSTUS FELICITER

ET HENRI CARMILLITAC
Vestris



Q. D. B. V.

*DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE
SUCCESSIONE
DESCENDENTIUM
LEGITIMA CIVILI.*

§. I.

Quicquid rerum defunctus relinquit, non nisi
jura & obligationes tam activae quam passi-
vae sunt, quae transmitti in alios possunt.
Complexus ille jurium & obligationum de-
functi omnium in alios transmissibilium di-
citur *hereditas*. Persona, ad quam hereditas trans-
mittitur, *heredis nomine* venit.

§. II.

Quemadmodum jura non transmissibilia jura di-
cuntur, quorum tertius particeps reddi non potest, &
A 2 obli-

obligationes non transmissibiles eae sunt, quarum particeps fieri tertius quidam nequit; sic *jurium transmissibilium* ea veniunt, quae acquiri a tertio quodam possunt, & *obligationes transmissibiles* eae dicendae, quarum reddi particeps quidam potest.

Ita Jura, quibus quoad bona defunctus gaudet, veluti dominia rerum, servitutes intuitu prædiorum concessae, pignora, & quæ hujus generis plura sunt, in *jurium numero* continentur, quae acquiri a tertio quodam possunt. Similiter & *obligationes a defuncto ratione patrimonii contractae*, sive *activæ* sint, ut *cre-dita*, sive *passivæ* fuerint, ut *debita*, *legata*, & sic porro, *obligationes* sunt, quarum fieri particeps terius quidam potest, sive quae acquiri possunt. Quamobrem haec res omnes in *jurium & obligationum*, quae transmitti possunt, numero comprehenduntur. Contra Jura personæ defuncti solummodo inhærentia, veluti *privilegia* cum *impestantis persona connexa*, servitutes personales, acquiri a tertio nequeunt. Itidem *obligationum personalissimarum*, veluti *obligationis defuncti ad opera artificialia*, itemque *obligationis ad poenam delicti alicuius gratia sustinendam* particeps reddi terius nequit, sed una cum persona, cui inhærent, exspirant. Quibus itaque rebus haec omnia a nobis recentita nomine *jurium & obligationum* non transmissibilium veniunt.

§. III.

Acquirere rem in genere dicitur is, qui facto quodam accedente ejusdem particeps redditur. Hinc *hereditatem acquirere* is dicendus, qui facto quodam accedente hereditatis redditur particeps.

§. IV.

Acquisitio hereditatis dicitur *succesio in genere*.

§. V.

§. V.

Cum ergo successio in genere acquisitio hereditatis sit (§. 4.) hereditas vero in complexu omnium jurium & obligationum defuncti in alios transmissibilium (§. 1.) consistat, patet & *successionem in genere acquisitionem omnium jurium & obligationum defuncti in alios transmissibilium esse.*

§. VI.

Successio omnis J. R. sit ex testamento, vel non (a). Etenim cum successio acquisitio hereditatis sit (§. 4.), hereditas vero omnis Jure Rom. vel ex testamento acquiratur, vel non, sed tantum immediate ex Legis dispositione (b). Evidens est *successionem omnem Jure Rom. fieri vel ex testamento, vel non.*

Equidem moribus nostris fieri quoque successio ex conventione potest, illaque *conventionalis dici successo* dici sivevit, veluti successio ex pacto confraternitatis (c) inter Principes & illustres personas consensu Imperatoris inito, successio ex pacto Ganerbinatus (d). Sed, quoniam de successione loquimur, prout fieri Jure Civili Romano potest, Jure civili Rom, vero successio conventionalis improbatum, quum de viventis hereditate pacisci prohibutum (e). A nobis quoque *successionis conventionalis haberi ratio nequit.*

A 3

§. VII.

(a) *Jos. AVERAN.* *interp. Juris Lib. I. c. 7. n. 2. p. m.*

65.

(b) *S. ult. Inst. per quas pers. acquir. item L. 1. & 2. ff. de hered. per.*

(c) *SAM. STRYK.* *de success. ab intestato Diss. 8. c. 7. §. 7.*

(d) *Idem ibidem, c. 8. §. 4.*

(e) *L. 15. & 30. C. de pacifice.*

§. VII.

Successio, quae non ex testamento fit, *successio* dicitur *ab intestato* in genere. Successio ab intestato, quae ex Lege civili immediate fit, *successio ab intestato civilis* audit.

Origine quidem prima successio ab intestato ex Lege N. descendit, atque adeo Juri Naturae (f) est, sed quae circa eandem Juris sunt generaliter tantum, non in specie, per illud determinantur. Sic in successione descendientium Jus Naturae non determinat, quam succedere liberi ab intestato patri debeant; similiiter non definitur, in quantum representationis obtinere Jus inter cognatos in linea transversa debeat. Quibus itaque rebus lites circa eandem oriturae vel nunquam, vel aegre saltem definirentur, si secundum Jus Naturae earum facienda decisio foret. Ne igitur id ipsum fieret, in Republ. opus fuit, ut LL. civiles principiis politicis conformiter naturalibus (g) superaddearentur, quibus nempe casus generaliter per Jus Naturae determinati ad lites, circa successionem ab intestato orituras, omni modo praecindendas, specialiter determinarentur. Ex ea quoque factum ratione est, ut de successione ab intestato & LL. Romanae disposerint, atque normam eidem praescriferint, ad quem & in quo ordine defuncti transmitti bona debeant, si intestatus absque ulla mentis suae declaratione nempe facta decesserit. Et exinde originem successio civilis cepit. Jure antiquo siebat haec partim ex Lege XII. Tab., partim ex Senatus-Consultis Praetorumque edictis; Jure autem novo ex Nov. 118., cuius duetum securui in Dissertatione nostra sumus, descendit.

§. VIII.

(f) H. GROTIUS de J. B. & P. II. cap. 7. §. 3.

(g) Illustr. WOLFFII Polit. §. 401.

§. VIII.

Quoniam successio ab intestato immediate ex Legis dispositione fit (§. 7.), id vero, quod immediate ex Legis dispositione fit, proprio legitimum (*b*) diciatur, *ratio patet, ob quam successio ab intestato dicitur quoque legitima fuerit* (*i*).

§. IX.

Successio, quae ex testamento fit, successio dicitur testamentaria.

§. X.

Successio testamentaria tollit sive excludit successionem ab intestato (*k*). Etenim successio testamentaria successio est, quae ex Testamento (§. 9.) fit. Quamobrem, quum Testamentum vim Legis post LL. XII. Tabb. & Novell. CXVIII. latae (*l*) habeat, & successio testamentaria successio est, quae ex Lege post LL. XII. Tabb. & Novellam CXVIII. lata descendit. Enimvero successio, quae ex Lege post LL. XII. Tabb. & Nov. CXVIII. lata descendit, excludit omne id, quod ex L. XII. Tabb. & Nov. CXVIII. proficiscitur, quia Lex posterior priorem (*m*) excludit, atque adeo & illud, quod Lege posteriore nititur, id tollere debet, quod ex Lege anteriore nempe Jure XII. Tabb. & ex Nov. CXVIII. descendit. Quare, quum Jure veteri

ex

(*b*) BARN. BRISSON, de V. S. sub voce legitimum, p. m.

1050. col. 2.

(*i*) L. 2. §. 4. ff. de suis & legit. hered.

(*k*) L. 39. ff. de acquir. hered. & L. 89. ff. de R. J.

(*l*) HEINECCI elem. ff. P. V. not. §. 2. & JAC. a VOORDEA in Comment. ad L. Falcid, c. I. §. I.

(*m*) L. 28. ff. de Li.

ex Lege XII. Tabb. & Jure novo ex Nov. CXVIII. immediate successio ab intestato (not §. 7.) descendat, evidens est, & successionem testamentariam tollere successionem ab intestato.

Aliter: Ponamus, quod successio testamentaria successionem ab intestato non excludat, sed haec nihilominus subsistat, tum vel huic soli deberet esse locus, vel utraque concurrere. Tertium non datur. Jam vero successioni ab intestato eo in casu locus esse prae testamentaria nequit, quia LL. civiles ultimis morientium voluntatibus maxime favent, easdemque omni servare modo student, ita, ut cautum in iisdem expresse fuerit: *Uti quisque legasset, ita Jus esto* (n). Similiter successio ab intestato cum testamentaria concurrere successione nequit; ita, ut utrique simul locus esset; quin hereditatis a defuncto relictæ pars una ad heredes testamentarios, pars ejusdem autem altera ad heredes ab intestato transmitteretur, atque adeo defunctus ex parte testatus, & ex parte intestatus, decederet; id quod vero secundum LL. Rom. paganorum nemini (o) licet. Quamobrem evidentissime patet, successionem testamentariam excludere successionem ab intestato.

S. XI.

Quoniam successio ab intestato successio est, quae per successionem testamentariam (§. 10.) excluditur,

Suc-

(n) L. 5. ff. testam. quemad, aper. L. 120. ff. de V. S. pr. Inst. de L. Falcid.

(o) §. 7. Inst. de hered. inst. L. 7. ff. de R. J. quam Illustr. Dn. C. R. A. M. B. R., Fautor meus & Praeceptor ad cineres usque colendus, pluribus evicit in specim. hered. Inter plures heredes institutae §§. 10. & 11.

Successioni vero, quae per successionem testamentaria-
riam excluditur, locus esse nequit, nisi testamentaria
successione deficiente; nam omnis exclusionis tum ces-
sat ratio; qua vero deficiente idipsum quoque cessat,
quod propter eam ponebatur (p) patet & *successioni*
legitima seu ab *intestato Jure Rom.* non nisi deficiente
successione testamentaria esse locum (q).

§. XII.

Quum ergo successio ab intestato locum habeat
deficiente successione (§. 11.) testamentaria; Successio
autem testamentaria deficiat, si nullum conditum te-
stamentum (§. 9.) fuerit, patet *successioni* quoque ab
intestato locum tum esse, si nullum conditum fuerit te-
stamentum (r).

§. XIII.

Constat porro, testamentum imperfectum seu in-
validum esse testamentum, quod requisitis legalibus
destituitur, quo in casu perinde est, ac si testamentum
conditum non esset (s), quum in jure non esse &
non legitime esse (t) eadem sint. Jam vero si nullum
conditum fuerit testamentum, tum successioni ab
intestato locus (§. 12.) est. Quamobrem, si testamen-
tum imperfectum fuerit, & *successioni ab intestato locus*
esse debet.

B.

Testa-

(p) Illustr. WOLFFII Metaphys. §. 32.

(q) Pr. L. 70, ff. de acquir. hered.

(r) Pr. Instit. de Success. ab intestato.

(s) AUG. BARBOS. thes. loc. commun. voc. Testamentum.
axioma 16.

(t) JOS. AVERANII Interpret. Jur. lib. I, c. 7, n. 13. p. m. 68.

Testamentum imperfectum vel ab initio tale est, veluti propter Testatoris inhabilitatem, nec non ob sollempnum defectum, vocaturque *testamentum nullum* (u) vel imperfectum ex postfacto evadit, eoque in casu infirmari dicitur (x). Hinc & in casibus hisce Successioni ab intestato vi §. praecedentis locus est.

§. XIV.

Si quis intestatus decebat, ultima ipsius praesumitur voluntas debet, cui nempe bona sua relinquiri prae ceteris voluerit (y). Etenim, si quis intestatus decebat, testamentum deficit (§. 11.) sive id ipsum non conditum (§. 12.) sive ipso jure nullum (§. 13.) fuerit, & consequenter nulla ultimae voluntatis declaratio, de bonis suis in eventum mortis nec expresse nec tacite facta a defuncto tum est (z). Jam vero, quum quilibet dominus vi dominii, quo in rebus suis gaudet, Jus de omnibus bonis suis in eventum mortis disponendi habeat (a), atque adeo declarare voluntatem de iisdem in mortis eventum possit, id quod Juris vero absque ulla justa adimi causa ipsi citra injuriam nequit; itidemque quilibet hocce usurpus Jure esset, si mortis hora ipsi constaret, nec inopinato a morte abreptus impediretur, tum si nulla ultimae voluntatis declaratio de omnibus bonis suis in eventum mortis facta a defuncto fuerit,

(u) LAUTERB. Colleg. Theor. pract. lib. 28. dt. 30. §. 2.

(z) Idem ibid. §. 4.

(y) G. A. STRUV. Exerc. XXXVIII. §. 3.

(z) L. I. ff. qui testamenta fac. poss.

(a) JAC. RAEWARDUS in comment. ad LL. XII. Tabb. c. 18. f. m. 95. lat. 2. & NIC. BELLONEI Supp. Juris II. p. num. 5. p. m. 476. col. 1.

fuerit, credibile non est, eum juri suo de bonis in even-
tum mortis disponendi, cui nempe relinqui eadem prae-
ceteris voluerit, renunciaisse, atque adeo ea hac men-
te dereliquisse, ut post mortem suam bona occupanti
cederent, sed voluntas ipsius ultima afferi potius ob-
rationes probabiles debet, cui bona post mortem relin-
qui prae ceteris voluerit. Quamobrem, quum affer-
tio ob rationes probabiles praesumtio (*b*) sit, patet in
successione ab intestato praesumti ultimam defuncti ve-
luntatem debere.

§. XV.

*Si ultima defuncti voluntas, cui bona sua relinqui
prae ceteris defunctus voluerit, praesumi debeat, praesumti
aliter nequit, quam quod ei relinquere eadem vo-
luerit, quem praeferre ceteris amore debuit (*c*). Ete-
niam, quum homo quilibet obligatus indispensabiliter
sit ad felicitatem alterius promovandam pro viribus (*e*),
& quidem eorum praeprimis felicitatem, quorum sa-
luti prospicere prae ceteris tenetur propter singularem
obligationem obligationi universali (*f*) accendentem:
Status hominis vero externus perfici per bona fortu-*

B 2

nat

(*b*) Illustr. Domini CRAMERI Dissert. de Jurisd. prorog.

§. 67.

(*c*) EVERH. OTTO in Comment. ad Inst. de Success. ab in-
test. sec. Nov. CXVIII. p. m. 383; & D. ARUMAEUS
Decisionum lib. II. dec. 9. num. 18.

(*d*) Illustr. WOLFF. §. 767. Moral.

(*e*) Idem §. 769. l. c.

(*f*) Idem §. 8. l. c.

nae (g) possit, in ultima defuncti ab intestato voluntate praesumenda, cui nempe bona sua relinquiri prae ceteris voluerit, praesumi aliter nequit, quam quod obligationi suae ut satisfaceret, ei prae ceteris relinquiri eadem voluerit, cuius statum perficere externum ejusdemque promovere felicitatem prae ceteris fuit obligatus, contrarium vero praesumi nequit, sed probandum. Quamobrem, quum is, qui felicitatem alterius promovere prae ceteris est obligatus, praeferre alterum in amore (h) teneatur, evidens est, in ultima defuncti voluntate praesumenda, cui relinquiri nempe bona sua prae ceteris voluerit, praesumi aliter non posse, quam quod ei relinquere eadem voluerit, quem praeferre ceteris in amore debuit.

§. XVI.

Quum ergo ejus, qui intestatus decedit, ultima praesumi voluntas debeat, cuinam bona sua relinquiri prae ceteris (§. 14.) voluerit. In ultima defuncti vero voluntate praesumenda, cui nempe bona sua relinquiri prae ceteris defunctus voluerit, praesumi aliter non possit, quam quod ei relinquere eadem voluerit, quem praeferre ceteris amore (§. 15.) debuit, patet, quod & *intestatus decedens prae ceteris ei bona sua reliquisse praesumendus sit, quem praeferre ceteris in amore fuit obligatus.*

§. XVII.

Cognati in genere dicuntur personae, quae relationem ad se invicem per generationem habent. Unde simul patet, *extraneos esse personas, quae relationem ad se invicem per generationem non habent, seu junctae sibi invicem cognatione nulla sunt.*

§. XVIII.

(g) Idem §§. 243. 513. l.c.

(h) Idem §. 440. Mer.

§. XVIII.

Personae, quae p̄ae omnibus aliis majorem relationem ad se invicem per generationem habent, seu majore cognatione junctae, cognati dicuntur proximi. Personae minorem relationem ad se invicem per generationem habentes, seu minore cognatione sibi invicem junctae, cognati remotiores audiunt.

§. XIX.

Si quis cognatos relinquit, tum iisdem intestatus decedens p̄ae extraneis omnibus bona reliquise sua & quidem proximioribus p̄ae remotioribus censendus est. Etenim si quis cognatos relinquit, tum propter cognitionem, qua juncti ipsi sunt (§. 17.), major adest ratio, eisdem personis cognitione nulla ipsi junctis, ut puta extraneis (§. cit.) in amore preferendi, & cum cognati proximiores majore cognitione juncti alicui sint, remotiores autem minori cognitione (§. 18.), ratio potior quoque est, cognatos proximiores propter maiorem cognitionem, quam ad quem habent, in amore preferendi remotioribus. Quamobrem, cum iis, quos präferre reliquis in amore fuit obligatus intestatus decedens p̄ae ceteris omnibus reliquise bona sua präfumendus fit (§. 16.). Patet, quod cognatis a se relictis intestatus decedens p̄ae extraneis omnibus & quidem proximioribus p̄ae remotioribus reliquise bona sua censendus fit.

Ex eadem quoque ratione cautum Jure XII. Tabb: fuit, ut proximiores cognari excluderent remotiores.

§. XX.

Descendentes, seu liberi sunt personae, quae ab aliquo per generationem dependent.

B 3 M cap. 2 num. 2 §. XXI.

§. XXI.

Si quis liberos, seu descendentes relinquat, tum iisdem intestatus decedens prae ceteris omnibus bona reliquise sua censendus est (i). Etenim liberos relinquens, quum propter dependentiam eorum per generationem (§. 20.) eosdem educandi prae ceteris, atque adeo felicitatem eorum prae ceterorum felicite omni- bus industriae nervis promovendi cura ipsi (k) incum- bat, ut gentis suae tueri decus queant, ceteris eosdem praeferre omnibus in amore obligatus (l) est, enimvero iis, quos praeferre ceteris in amore quis fuit obligatus, intestatus decedens reliquise prae ceteris bona sua praesumendus est (§. 16.). Ergo & liberis a se relicitis intestatus decedens prae ceteris omnibus bo- na reliquise sua est censendus.

In hunc quoque ostendi modum potest: Etenim liberos relinquens personas relinquit majore cognatione sibi junctas, atque adeo reliquis cognatis proximiores omnibus (§. 18.). Enimvero cognatis proximioribus, si quos relinquat, reliquise bona sua prae remotori- bus omnibus intestatus decedens censendus est (§. 19.). Quamobrem & liberis &c.

§. XXII.

Quoniam intestatus decedens prae reliquis omni- bus bona reliquise sua censendus liberis a se relicitis (§. 21.) est. Sub liberorum vero nomine a defuncto relictorum liberi utriusque sexus tam masculini, veluti filii,

(i) L. ult. Cod. de Suis & Nov. CXVIII. c. 1.

(k) Illustr. WOLFF, Polit. §§. 18. 81 — 83.

(l) Idem §. 440. Met.

filii, quam feminini, veluti filiae (m) continentur, evidens est, ab intestato decedentem prae ceteris omnibus bona reliquise sua liberis utriusque sexus, tam filiis, quam filiabus, esse censemendum.

§. XXIII.

Quum sub filiorum filiarumque nomine & postumi & postumae contineantur (n), ab intestato decedens prae reliquis omnibus bona reliquise sua & postumis suis censendus (§. 22.) est, modo perfecti & vivi nascantur.

§. XXIV.

Liberi gradus primi dicuntur ii, qui a persona quadam tertia immediate per generationem simul dependent. Liberi vero, qui a persona quadam tertia non immediate per generationem, sed mediantibus personis aliis, dependent, liberis graduum ulteriorum audiunt.

§. XXV.

Quum igitur liberorum nomine non liberis solum a persona quadam tertia per generationem immediate dependentes, seu primi gradus (§. 24.) veluti filii, filiaeve, sed & liberi per generationem a persona quadam tertia mediate dependentes, seu graduum ulteriorum, veluti nepotes & neptes, pronepotes & pronepotes (o) contineantur, patet, quod & ab intestato decedens prae ceteris omnibus bona reliquise sua liberis tam primi gradus, quam graduum ulteriorum, censendus (§. 21.) sit.

§. XXVI.

(m) L. 56. ff. de V. S.

(n) §. 5. Insti. qui Testam. tur, dare.

(o) L. 220. ff. de V. S.

§. XXVI.

Liberi primi gradus excludunt liberos ulteriorum graduum ex se natos (p). Etenim liberi primi gradus majore cognatione cum defuncto junci sunt, quam liberi graduum ulteriorum ex ipsis nati, nam illi immediate, hi vero mediate, mediantibus nempe liberis gradus primi, a defuncto dependent (§. 24.). Quamobrem cum cognati majore cognatione junci, cognati proximiores, cognati vero minore cognatione junci cognati remotiores (§. 18.) audiant. Cognati proximiores vero cognatos remotiores (§. 19.) excludant; manifestum est, quod & liberi gradus primi liberos graduum ulteriorum ex se natos excludant.

§. XXVII.

Liberi legitimi natura tales sunt liberi in matrimonio justo geniti. Matrimonium justum h. l. dicitur, quod LL. civilibus conformiter est contractum.

§. XXVIII.

Liberi legitimi sexus cujuscunque utriusque conjugis patri aequae ac matri ab intestato succedunt (q). Etenim liberi legitimi liberi sunt in matrimonio justo (§. 27.) geniti, eamque ob causam in jure nostro iuribus liberorum gaudent (r). Jam vero, quum iuribus liberorum nonnisi in Jure succedendi utriusque parenti consistant; is etiam, qui liberorum iuribus gaudet, utriusque parenti succedit. Quamobrem, quum uterque parens pater & mater sint, & liberi legitimi cujuscunque

(p) JOH. STRAUCH. Dissert. Inst. XI. aphor. 15.

(q) Nov. CXVIII. c. I. & L. II. C. de suis & legit.

(r) GAIL. II. obs. 112, not. 19.

tunc sexus patri aeque ac matri ab intestato succedit.

Jure Rom. antiquo e liberis legitimis natura talibus succedere nonnisi in patria defuncti potestate posse poterant, qui quum *sui* essent, & succedere e liberis legitimis natura talibus non poterant, nisi *sui* (s). Liberi contra e patria potestate dimissi successionis capaces non erant. Quo siebat, ut & *liberi emancipati* a successione ab intestato excluderentur (t). Rationibus tamen eorum prospexit Prætor Edictum UNDE LIBERI bonorum possessionem (u) ipsis addicendo, donec Justinianus omne illud liberorum legitimorum natura talium in suos & emancipatos discrimen prorsus (x) sustulit, suos aeque ac emancipatos ab intestato ad successionem vocando. Potro apud Rom. olim liberi legitimi, cum in patria patris civilis non matris potestate (y) continerentur, succedere marii ab intestato defunctae non poterant (z). Sed Senatus-Consulato Orphitano denum Vertio Rufo & Cornelio Scipione Orphito fasces consulares tenentibus constitutum est (a), ut in bonis matrum intestatarum succedant, quod deinceps per Nov. CXVIII. Justinianus naturali ejusdem aequitate perspecta confirmavit. Similiter Jure antiquo vi L. Vocon. quoad liberos legitimos natura tales & sexus habebatur ratio, vi cuius suc-

C cedo

(s) HEINECCI antiqu. Rom. III. I. §. 2.

(t) NIEUPOORT antiqu. Rom. Sect. VI. c. 5. §. 4. p. m. § 82.

(u) Idem HEINECC. antiqu. Rom. I. §. 6. Tit. ff. unde liberari.

(x) Nov. 118. c. 1.

(y) NIEUPOORT. antiqu. Rom. Sect. 6. cap. 5. §. 4. p. m.

§74.

(z) ULPIAN. fragm. XXVI. 7.

(a) pr. Inst. de SCq. Orphit.

cedere e liberis non poterant, nisi filii, per quos vi-
delicet familiae propagabantur, defunctique conserva-
ri memoria debebat, filiae vero, quum ex familia egre-
diantur in aliam, nempe mariti, eamque ob causam
familiae finis dicuntur, ab hereditate excludebantur (b).
Ratio istius Juris familiarum in splendore fuit conser-
vatio, cui vi L. Voconiae in libera Republica, quum
summa penes populum Majestas adhuc esset, latae, Ro-
mani praeprimis studebant, & cui conservando consu-
li non poterat, nisi filiis bona relinquerentur. Verum
postero tempore confirmare Monarchiam eandem
que nullis circumscriptam reddere limitibus cum vellet
Justinianus, id aurem fieri ex sententia ipsius non pos-
set, nisi familiae opibus prae ceteris valentes fini ipsius
contrariae enervarentur; omnes quoque cogitationes
fuas eo direxit, ut familiae opibus florentes enerven-
tur. Quoniam vero iis enervandis promiscua praepri-
mis successio, vi cuius nempe non masculi, seu filii
solum, sed & feminae, nempe filiae ad successionem
adspirare poterant, interfiebat, factum hinc est, ut
promiscua deinceps successio introducta a Justiniano
fuerit (c). Quod per promiscuam successionem ener-
ventur familiae extra omnem dubitationis positum ale-
am est. Fingamus, feminas cum masculis una succe-
dere, tum bona e familia, cuius conservari splendor
per easdem debebat, transferuntur in aliam, nempe
mariti, quo in casu filii, per quos familiae conservan-
das in splendore erant, mediis ad sustentationem fami-
liae in splendore facientibus, exuebantur, & hoc facto
sensim sensimque familiae enervabantur. Eiusmodi
progressus ergo J. R. ab intestato habuit successio.

Prior

(b) JAC. PERIZON, *Dissert. de L. Vecon.* p. m. 135. &
HILLIGER in Donell. encl. Lib. IX. c. 2. lit. b.

(c) Nov. CXVIII. c. I. in fine.

Prior succedendi modus, qui Jure antiquo siebat, successio ab intestato dicitur *ante-Justinianea*. Posterior vero, qui Jure obtinebat novo, successionis ab intestato *Justinianae* venire nomine solet. Apud Germanos similiter masculorum tantummodo successio in omnibus defuncti bonis ex eadem obtinuit ratione, qua antea apud Romanos, filiae vero a bonorum successione (d) excludebantur. Sed cum Jura Romana contra Germanorum mores invaluerint (e), factum est, ut successio Justinianae, vi cuius & masculi & feminae aequalibus succedere in portionibus debebant, apud nos introduceretur. Quod autem Jura Rom. contra Germanorum invaluerint mores, intelligi ex eo quoque potest, quia nobiles, quorum permultum interfuerit, ut familiae ipsorum in splendore conservarentur, omni nisu LL. Romanarum introductioni sese initio opposuerunt, & quum earundem resistere introductioni minime possent, beneficio Juris Canonici, cuius non minor tum temporis quam Juris Romani fuit auctoritas, pactis consulere renuntiativis adjectis familiarum suarum splendori tenebaverunt (f), in quibus filiae nempe promittebant, se abstinere ab hereditate futura velle, ubi delata sibi (g) fuerit. Fingas enim contrarium, quod LL. sc. Rom. contra Germanorum mores non invaluerint, sed tantum receptae in subsidium eadem fuerint pactis istis renuntiativis adjectis minime tum fuisse opus. Quibus rebus ergo promiscua haec masculorum feminarumque successio vi recepti Juris Rom. apud nos praesumenta semper est, probationeque minime indigeret; ex-

C 2

clusio

(d) Illustr. Dominus CRAMERUS Dissert. I. de pacto hered. renunt. filiae nobilis §. 3.

(e) Ejusd. Progr. de praesumt. pro Jure Rom. p. m. 4. & seqq.

(f) Idem Dissert. cit. §. 13.

(g) Idem Dissert. cit. §. 1.

clusio filiarum contra, quum facti sit, probanda, non vero prae sumenda, atque adeo non subsistit, nisi probata sufficenter fuerit.

§. XXIX.

Privignus filius est, qui ab altero coniuge immediate per generationem in priori matrimonio factam dependet. Unde simul liquet, *privignam* esse filiam, quae per generationem in priori matrimonio factam immediate ab altero coniuge dependet.

§. XXX.

Privigni vel Privignae ab intestato decedenti non succedunt (h). Etenim privigni vel privignae liberi sunt ab altero tantum coniuge immediate per generationem in priori matrimonio factam (§. 29.) dependentes, & consequenter cognati (§. 17.). Jam vero cognati conjugis unius affines sunt conjugis alterius (i). Quamobrem, quum affines ab intestato decedenti (k) non succedant, & privigni ab intestato decedenti vitrico vel novitiae succedere nequeunt.

§. XXXI.

Successio ab intestato, quae pro numero personarum succedentium fit, *successio dicitur in capita*.

§. XXXII.

Liberi legitimi gradus primi tam patris quam matris ab intestato in aequalibus portionibus succedunt, atque adeo

(h) L. Vitrico 3, C. comm. de Success.

(i) Can. 3, c. 35, q. 5, c. 8, &c. pen, X, de cons, & affin.

(k) L. affinitatis 7, C. d. Tit.

adeo in capita. Etenim liberi legitimi gradus primi, nempe filii & filiae, immediate a persona quadam tertia per generationem simul dependent (§. 24.), atque adeo unam eandemque relationem per generationem ad parentes suos, h. e. patrem & matrem, habent. Jam vero personae immediate a persona quadam tertia per generationem simul dependentes, atque adeo unam eandemque relationem per generationem ad parentes h. e. patrem & matrem habentes, quum in bonis parentum prae caeteris succedant (§. 26.), idem jus quoque habent parentibus succedendi, nullaque eaurundem Jus potius prae altera habet, quia omnes liberi Jus suum habent in parentum bonis succedendi propter generationem a parentibus factam, atque adeo nulla tum subest ratio, ob quam unius & liberis ratio habeatur in succedendo major quam in ceteris, sed omnium Jus aequale est in bonis parentum succedendi. Quamobrem, cum aequale Jus in bonis parentum succedendi habentes aequalibus in portionibus succedere quoque oporteat, successio haec in portionibus fieri aequis non poscit, nisi pro personarum descendantium numero fiat atque adeo (§. 31.) in capita, patet, quod & liberi legitimi gradus primi parentibus suis h. e. patri & matri ab intestato in capita succedant.

§. XXXIII.

Successio ab intestato, quae pro numero stirpium, seu earum personarum sit, a quibus aliae per generationem rursus dependent, *successio in stirpes dicitur.*

C 3

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Quo autem succedi in stirpes possit jure representationis, prout inferius (§. 36.) ostendemus, opus est. Id ut rectius intelligatur, inquire in illius fundatum lubet. Contingere nimurum haud raro potest, ut praeter primi gradus liberos ab intestato decadens liberos graduum quoque ulteriorum a liberis primi gradus ante se mortuis genitos relinquat. Quibus itaque rebus cognati proximiores & remotiores concurrunt. Jam vero secundum Regulam Juris antiqui, quam in superioribus (§. 19) evicimus, remotorem semper cognatus excludebat proximior. Quamobrem liberos primi quoque gradus eam ob rationem liberos graduum excludere ulteriorum oportebat. Verum enimvero, cum graduum ulteriorum liberi ab ejusmodi parentibus per generationem dependeant, qui simili modo in primi gradus liberorum a defuncto ab intestato descendantium numero continebantur, atque simili adeo succedendi patri ipsorum ab intestato defuncto gavisi spe erant, qua reliqui gradus primi liberi, quique praeterea portionem hereditatis sibi debitam & impetraturi & transmissuri in suos heredes erant, nisi praematura functi morte fuissent, ab omni alienum aequitatem foret, si eosdem ab avi ab intestato defuncti hereditate primi gradus liberi excluderent. Interim tamen haec Juris antiqui regula tantopere valebat, ut exceptionem admitteret nullam. Hinc & universalitati istius regulae & aequitati simul conservandae consuli alium in modum non potuit, quam ut mediante fictione parentum demortuorum locum graduum ulteriorum liberi occuparent. Quo facto perinde tum erat,

erat, ac si ejusdem gradus cum liberis primi gradus forent. Successio liberorum graduum ulteriorum in locum demortuorum parentum ergo dicitur *Jus representationis*, seu *successio vicaria*.

§. XXXV.

Constat, *Jus representationis successionem liberorum graduum ulteriorum in locum demortuorum parentum* (§. 34.) esse. Jam vero illi successioni liberorum graduum ulteriorum in locum parentum demortuorum locus tantum est, si proximior adsit remotiorem excludere volens (§. cit.). Quamobrem *juri isti representationis locus esse tantum potest, si proximior adsit remortiorem excludere volens* (1).

§. XXXVI.

Si Juri isti representationis locus est, tum successio sit in stirpes. Etenim, ubi Juri representationis locus est, ibi liberi ulteriorum graduum in locum demortuorum parentum succedunt (§. 34.), si vero liberi graduum ulteriorum in locum parentum demortuorum succedant, tum maiorem petere portionem ex hereditate ab intestato non possunt, quam ipsorum accepissent parentes si fuissent superstites. Cum omne *Jus suum succedendi ab iisdem habeant per generationem, & consequenter fieri tum nequeat, ut viritima aequis in portionibus atque adeo in capita* (§. 31.)

(1) §. 6. Inst. de succ. ab intestato.

cum liberis gradus primi succedant, siquidem maiorem eo in casu portionem impetrarent, quam parentes ipsorum superstites impetrassent. Quamobrem cum succedere in capita nequeant, praeter successiōnem vero in capita nonnisi successio in stirpes detur, evidens est, si Juri representationis locus, successiōnem tum fieri in stirpes.

§. XXXVII.

Si liberi graduum ulteriorum cum liberis gradus primi concurrant, successio fit in stirpes. Etenim si liberi gradus primi cum liberis ulteriorum graduum concurrunt, tum proximiōres, nempe liberi primi gradus adiūnt graduum ulteriorum liberos excludere tanguam remotiōres volentes. Jam vero, ubi in linea descendentiōrum proximiōr adēst remotiōrem excludere volens, ibi Juri representationis locus (§. 35.) est. Quamobrem, quum Jure representationis obtinente successio in stirpes fiat (§. 36.), patet, quod & liberis gradus primi cum liberis graduum ulteriorum concurrētibus fieri successio in stirpes debeat.

§. XXXVIII.

Si liberi graduum ulteriorum unius ejusdemque gradus atque adeo soli concurrant, tum succedunt in capita. Etenim si liberi graduum ulteriorum unius ejusdemque gradus atque adeo soli concurrant, tum omnes aequo Jure gaudent, quum quilibet eorundem aequo in liberorum numero contineatur ac alter, ideoque proximiōr, qui remotiōrem aliquem excluderet, deficiat.

deficiat. Ubiunque vero proximior remotorem excludere volens deficit, ibi juri representationis locus (§. 35.) non est, & vicissim, ubi Juri representationis locus non est, ibi successio in stirpes locum quoque (§. 36.) non habet. Quare, quum successioni in stirpes successio pro numero personarum e diametro opponatur; successio pro numero personarum vero successio in capita (§. 31.) sit. Patet: liberos ulteriorum graduum unius ejusdemque gradus atque adeo solummodo concurrentes succedere in capita.

DD. quidem in stirpes successionem fieri eo in casu debere contendunt. Verum analogiae Juris per modo tradita sententia nostra est conformior. Ex hac ratione decisum quoque in Comitiis Spirensibus An. 1529. fuit, ut fratrum sororumque liberi in successione soli concurrentes defuncto succedere in capita debeat.

§. XXXIX.

Liberi per subsequens matrimonium cum legitimis reliquis postea natis tam in bonis paternis quam maternis ex aequis portionibus ab intestato succedunt (m). Etenim legitimati per subsequens matrimonium in Jure legitimis natura talibus, qui primi gradus sunt, aequaliter parantur (n). Jam vero liberi legitimi natura tales gradus primi patri aequae ac matri ab intestato in aequalibus portionibus succedunt, atque adeo in capita (§. 32.). Quamobrem & liberi per subsequens matrimo-

D nium

(m) §. 2. Inst. de success. ab intest.

(n) HULD. ab EBEN in Dissert. de tutela feminina quae in opusculis occurrit. P. II. membr. IV. §. 16. & Dissert. de regal. privator. c. 8. §. 3.

nium legitimati cum legitimis reliquis postea natis tam in bonis paternis quam maternis ex aequis portionibus ab intestato succedunt.

§. XL.

Liberi per Rescriptum Principis legitimati sunt liberi illegitimi, quos Princeps pronuntiavit legitimos.

§. XLI.

Liberi per Rescriptum Principis ad effectum succedendi liberis legitimis jamjam existentibus legitimati succedere ab intestato aequis in portionibus cum legitimis non nisi in bonis ultra legitimam possunt. Etenim liberos per Rescriptum Principis ad effectum succedendi liberis legitimis jamjam existentibus legitimatos Princeps ex voluntate patris ipsorum naturalis pronuntiavit legitimos (§. 40.), ut una cum liberis legitimis jamjam existentibus aequis in portionibus succederent. Enimvero liberi, quos Princeps pronuntiavit ex voluntate parentis eorum naturalis legitimos, ut una cum liberis legitimis jamjam existentibus aequis in portionibus succederent, succedere cum liberis legitimis jamjam existentibus ex voluntate patris legitimationem eorundem a Principe ad succedendi effectum flagitantis non possunt, nisi in bonis, circa quae, liberis legitimis jamjam existentibus disponere pro arbitrio pater eorum potest, atque adeo in bonis, quibus ultra legitimam gaudet, cum in legitimam Jus quae situm ante nati jam habeant, quod adimi vel minui citra injuriam ipsis nequit. Quamobrem (o) per Rescriptum

Prin-

(o) GAI. II. obs. 120, n. 121

Principis ad succedendi effectum liberis legitimis jam
jam existentibus legitimatos succedere ab intestato una
cum liberis legitimis aequis in portionibus non nisi pos-
se in bonis ultra legitimam.

§. XLII.

*Liberi per Rescriptum Principis ad succedendi ef-
fectum liberis legitimis nondum existentibus, sed postea
decimū iisdem natis legitimati aequis in portionibus
cum legitimis postea natis in omnibus bonis paternis ab
intestato succedunt. Etenim eo in casu Princeps ex vo-
luntate patris eorum naturalis legitimos eosdem pro-
nuntiavit (§. 40.), ut in bonis paternis omnibus aequis
in portionibus cum liberis legitimis nascituris ab inte-
stato succederent. Quibus ergo rebus liberi per Re-
scriptum Principis ad effectum succedendi legitimati
cum liberis postea natis idem succedendi Jus in bonis
paternis omnibus habent, & nulla tum adest ratio, ob
quam liberi per Rescriptum Principis ad effectum suc-
cedendi legitimati Jus potius prae liberis legitimis po-
stea natis habeant, utpote qui Jus in omnibus bonis
paternis succedendi obtinuerunt per generationem, &
vicissim nulla subest ratio, ob quam liberi legitimi postea
nati Jus potius prae liberis per Rescriptum Principis ad
effectum succedendi legitimati habeant, utpote hi Jus
succedendi in omnibus bonis paternis quasitum obti-
nuerunt ex voluntate patris (p.), quum tum temporis
adfuerit nemo, qui ante ipsorum legitimationem ad-*

D 2

effe-

(p.) P. CHRISTIN. quæst. pract. Vol. V. dec. 193. not. 28.

effectum succedendi factam Jus quae situm in bonis paternis habuerit; id quod ergo adimi ipsis per nativitatem liberorum legitimorum ex post natorum nequit. Jam vero liberi idem Jus habentes in bonis parentum succedendi in aequis succedere portionibus in bonis parentum debent, id quod manifestum. Quamobrem liberi legitimati per Rescriptum Principis ad effectum succedendi cum liberis legitimis ex post post prognatis aequis ex portionibus in omnibus paternis bonis succedunt.

§. XLIII.

Liberi ab utroque coniuge adoptati ab intestato, utriusque parenti adoptivo aequis in portionibus succedunt. Etenim liberi ab utroque coniuge adoptati liberi legitimi natura tales utriusque conjugis singuntur, atque adeo iisdem in Jure aequiparantur. Jam vero liberi legitimi natura tales utriusque parenti tam patri quam matri ab intestato aequis in portionibus (§. 32.) succedunt. Ergo & liberi ab utroque coniuge adoptati succedere ab intestato aequis in portionibus debent tam patri adoptivo, quam matri adoptivae.

§. XLIV.

Liberi ab uno tantum coniuge adoptati ei soli succedunt, non vero coniugi alteri. Etenim liberi ab uno tantum coniuge adoptati liberi legitimi natura tales conjugis unius atque adeo ab illo in priori matrimonio geniti censentur. Jam vero liberi ab uno coniuge tantum per generationem in priori matrimonio factam geni-

geniti privigni conjugis alterius sunt (§. 29.). Quamobrem, cum privigni non succedant, nisi ei parenti, a quo per generationem dependent (§. 30.), & liberi ab uno tantum conuge adoptati succedere conjugi alteri, a quo adoptati non sunt, succedere ab intestato nequeunt, sed ei tantum, a quo adoptati fuere.

§. XLV.

Liberi naturales & spurii in bonis maternis solummodo succedunt, & quidem cum legitimis ex matre ipsorum postea natis ex aequis portionibus in iisdem. In bonis patris naturalis vero liberi naturales & spurii non succedunt. Etenim liberi naturales & spurii in jure nostro intuitu matris liberi legitimis sunt (q.). Jam vero liberis seu descendantibus praeceteris omnibus ab intestato decedens reliquise bona sua censendus est (§. 22.). Quamobrem & liberis naturalibus & spuris mater ab intestato decedens praeceteris omnibus bona reliquise sua censenda est, & consequenter iisdem matri ab intestato succedunt. Et quidem cum liberi naturales & spurii intuitu matris aequae liberi sint ac liberi legitimis, & quidem unius ejusdemque gradus; liberi vero unius ejusdemque gradus in bonis parentum ex aequis portionibus ab intestato succedant (§. 32.). Patet, quod & liberi naturales & spurii cum liberis legitimis ex matre postea natis aequis ex portionibus ab intestato in bonis maternis succedant.

D 3

Verum

(q) GAI. II. obs. 1. 2. num. 20.

Verum enimvero liberi naturales & spurii juribus liberorum ratione patris non gaudent (*r*), cum in patria potestate non contineantur (*s*). Liberi vero iuribus liberorum intuitu patris non gaudentes, succedere in bonis patris non possunt, cum Jura alia liberi habere non possunt, quam Jus succedendi. Quamobrem liberi naturales & spurii succedere in bonis paternis nequeunt.

Magnum tamen inter naturales seu in concubinatu natos & spurios, seu ex vaga libidine concepios. Jure Rom. intercessit discrimen. Nam *hi* deterioris multo conditionis fuere quam *illi*, siquidem liberi naturales, quamvis ceteroquin liberorum iuribus quoad effectum patri naturali eorum succedendi aequae destituerentur, ac spurii (per modo tradita) ex jure Novissimo parri naturali sine liberis legitimis & sine legitima conjugie ab intestato defuncto in duas uncias una cum matre dividendas succedunt (*t*). Duae istae uniae sextantis nomine veniunt, partemque hereditatis parernae sextanae constituunt (*u*). Liberis vero vulgo quæsitis, seu spuriosis, ex hereditate patris naturalis tale quid non obveniebat, quamvis nec legitimis liberis nec legitima conjugie relictis intestatus decederet. Ratio huius diversitatis non alia fuit, quam haec: quod pater spuriorum naturalis incertus semper esset, contra de liberorum in concubinatu genitorum naturali constare patre prius posset. Praeter ea scortatio, in quo concepti spurii fuere, delictum est in Republica non tolerandum

(*r*) Idem ibid. num. 18.

(*s*) HEINECCI antiq. Rom. Lib. I. Tit. X. §. 21. p. 157.

(*t*) Nov. 89. c. 12. §. 4.

(*u*) Illustr. Domini CRAMERI Spec. de divis. hered. §. 6.

randum (x) sed puniendum. Contra concubinatus apud Romanos licita tum temporis fuit consuetudo (y). Ex hisce ergo factum rationibus fuit, ut plus favoris liberi ex concubinis nati prae se ferrent, quam spurii. Hodie vero, quum, concubinatu per Rec. Imperii de An. 1530. (z) & 1577. (a) prorsus sublatto, liberi naturales spurii aequiparentur, dispositio Juris de successione naturalium ad spurios extensa Jure Can. fuit.

§. XLVI.

Liberi adulterini & incestuosi Jure Rom. nec patri nec matri ab intestato succedunt. Etenim liberi adulterini & incestuosi J. R. in detestationem criminum adulterii & incestus, nec ullum cognitionis Jus cum patre matreque nec inter se ipsi, aut cum aliis per patrem matremve a latere conjunctis (b) habent, & consequenter nec liberi esse censentur, sed ceterorum extraneorum instar sunt (§. 17.). Jam vero extranei, quum a cognatis defuncti excludantur (§. 19.), ab intestato non succedunt. Quamobrem & liberi adulterini atque incestuosi Jure Rom. nec patri nec matri ab intestato succedunt.

Jure Rom. alimenta adeo iisdem denegantur, quam duritiem Jus tamen Canonicum correxit alimenta iisdem adjudicando.

§. XLVII.

(x) Polit. WOLFF. §§. 26. & 37.

(y) JAC. GOTHOFREDUS in serie Digestorum col. 1345.
eoit. Trozianae & HEINECC. antiqu. Rom. append.
Lib. I. p. m. 30.

(z) Tit. XXXIII.

(a) Tit. XXVI.

(b) ARN. VINTNIUS in Comment. ad Inst. III, 5, §. 4. II
3, & Nov. LXXIV, c. 6.

§. XLVII.

Haec sunt praecipua, quae de descendentiū successionē legitima differere pro hac vice placuit. Plura quidem, eaque utilia, praesenti addi doctrinae a nobis potuissent; sed cum temporis angustiae fieri idipsum prohibeant, & opella praefens ita nimis excresceret, finem dissertationi impono. Ceterum, si in scripto

hocce rem acu non semper tetigerim, veniam

Lectorem Benevolum facile nobis

daturum confido.




Marburg Diss., 1747-43



TA → OL
1+ 8 Shill verkupft

B.I.G.



DISSESSATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
**SUCCESSIONE
DESCENDENTIUM
LEGITIMA CIVILI,**
QUAM
DEO CLEMENTER ANNUENTE
SUB AUSPICIIS
RECTORIS ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DN. FRIDERICI,
HASSIAE LANDGRAVII, RELIQ.
EX DECRETO
AMPLISSIMI JURISCONSULTORUM ORDINIS
IN ILLUSTRI ACADEMIA MARBURGENSI
PRO
SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS
ET
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
RITE CONSEQUENDIS
MAGNIFICI SENATUS ACADEMICI
EXAMINI PUBLICO
AD DIEM MARTII A. O. R. cœloccxlii.
SUBJICIT

JO. JAC. ERNESTUS PFEIFFER,
WEZLARIENSIS.

MARBURGI CATTORUM,
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, ACAD. TYPogr.

CIRCOLE
ZVHAL